



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 2. An hæc benedictio necessariò fieri debeat ab Episcopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Aduerte tamen formam benedictionis, quâ Ecclesia vitur, non esse necessariam; sed sufficere quamuis inuocationem Spiritus sancti, vt benedicat & sanctificet hoc vnguentum, quamuis alijs verbis fiat, quàm Ecclesia præscripsit. Ratio est, Quia Dominus non præscripsit determinata verba, sed solum Spiritus sancti vel diuinitatis inuocationem, ad sanctificationem vnguenti. Vnde nec semper, nec vbique eadem forma inuocationis seruatur. Pari ratione non est necessaria probitas, aut fides ministri; sed sufficit legitima intentio benedicendi Chrismatis vt Christus instituit, vel vt Ecclesia seruat.

DVBIVM II.

An hac benedictio necessario fieri debeat ab Episcopo?

15
Sacerdos simplex non potest hoc Chrisma consecrare potestate ordinariâ.

Respondeo Primò, Certum est Sacerdotem simplicem suâ ordinariâ potestate non posse hanc benedictionem præstare, quidquid dicat Caictanus: est enim communis sententia Theologorum. Patres etiam & Concilia requirunt benedictionem Episcopi, & negant à Presbytero eam posse fieri. Quòd si Presbyter haberet potestatem ordinariam, non ita absolutè requirerent Episcopi benedictionem; nec ipsi eam negarent ita absolutè.

Caictanus tenet id eum posse ex commissione Papæ.

Probabile tamen est, ex commissione Pontificis Presbyterum posse. Ita Caictanus hic; & Victorius quæst. 43. & aliqui alij recentiores. Probat, Quia potest esse minister ipsius Sacramenti Confirmationis, quod maius est, vt infra dicemus: cur ergo ex eadem commissione non posset consecrare Chrisma, quod minus est?

16
Sed probabilius est, non posse.

Contrarium tamen est probabilius, scilicet Papam non posse hanc benedictionem Presbytero committere: cuius signum est, quòd nunquam legatur id fecisse. Confirmatur ex Concilio Florentino, quòd absolutè requirit, vt sit benedictum ab Episcopo: cum tamen ibidem dicat ex commissione Pontificis aliquando concessum Presbyteris, vt hoc Sacramentum conferrent. Et ratio est, Quia cum iure diuino hoc sit concessum Episcopis, vt Chrisma cõficiant, vt patet ex supra dictis, non facillè asserendum est Pontificem id posse extendere ad alios, nisi maior ratio vel auctoritas id conuincat.

Potestatem enim ex hac commissione Concilium confirmat.

Nec obstat quòd conferre Sacramentum amplius videatur, quàm disponere materiam: quia potuit esse legitima causa, cur Dominus ita voluerit esse Episcopum ministrum Sacramenti, vt hoc ministerium etiâ simplici Presbytero posset committi: nempe, quia Episcopi non possunt se ad omnia loca, vbi hoc Sacramentum conferendum est, transferre. Quæ ratio locum non habet in benedictione materie.

Concil. Toletan.

Dices, Concilium Toletanum Primû Canone 20. aperte dicit, *In quibusdam locis, vel prouincijs dicuntur Presbyteri chrisma consecrare*: nec tamen id damnat tamquam irritum. Respondeo, Non est credibile in Ecclesijs Catholicis fuisse vnquâ permissum Presbyteris vt cõficerent chrisma Confirmationis; fuisset enim intolerabilis abusus contra tot Canones, cum periculo summi sacrilegij. Vnde Concilium videtur loqui de chrismate, quo baptizati vnguntur in vertice; quæ vntio, cum sit caremonialis, posset ab Ecclesia eius benedictio Sacerdoti committi. Vfus tamen Ecclesiæ

Et chrisma baptizati consecrare.

habet, vt hæc quoque vntio fiat chrismate per Episcopum benedicto.

ARTICVLVS IV.

Vtrum hac sit conueniens forma Confirmationis: Consigno te signo Crucis, &c.

Respondeo, Hanc esse conuenientem formam: *Consigno te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Ratio est, Quia in ea exprimitur causa principalis huius Sacramenti, scilicet sanctissima Trinitas; & ministerialis, scilicet minister; & effectus Sacramenti, qui duplex est; Primò, Facere militem Christi, insigniendo illum exterius Cruce, interius Charactere; Secundò, Corroborare ad pugnam spirituales, confirmando chrismate.

17
Forma hæc est conueniens.

Notandum Primò, Hanc formam, sicut & reliquas Sacramentorum, magis traditione, quàm scripto haberi. Nam vt Dionysius ait c. 7. par. 3. Ecclesiasticæ Hierarchiæ: *Consecratorias inuocationes has non est scripto euulgare.* Et Innocentius I. epist. 1. c. 3. de Confirmatione, *Verba dicere non possum, ne magis prodebe videar, quàm ad consultationem respondere.* Insinuat tamen eam Apostolus 2. ad Cor. 1. v. 21. *Qui confirmat, inquit, nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos Deus, qui & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris?* Ambrosius c. 7. de ijs, qui mysterijs initiantur, *Serua quod accepisti; signauit te Deus pater, confirmauit te Christus Dominus.*

Constat id magis ex Traditione quam sacris.

Notandum Secundò, Hanc formam videri essentiali: vt colligitur ex Concilio Florentino. Vnde si sic mutetur, vt non seruetur eadè sententia, nihil fiet. Debent autem exprimi tres Personæ diuinæ, sicut in Baptismo: tum, quia hoc Sacramentum est consummatio quædam baptismi; tum, quia homo per hoc armatur propriè ad fidci professionem, quæ potissimum versatur circa mysteriû Trinitatis. Actio quoque Ministri necessariò exprimenda, sicut in Baptismo; quòd fit, cum dicitur: *Consigno te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis.* Fortasse tamen dictio illa (*salutis*) non est de substantia, cum videatur contineri in verbo *confirmandi*. Idè fortè dici posset de hoc verbo (*chrismate*) & (*signo Crucis*): nam signatio apud Christianos intelligitur fieri signo Crucis, & confirmatio chrismate. Quia tamè res est dubia, si quis sic confirmatus esset, deberet sub conditione iterari.

Essentialis.

Explicatur singulæ eius partes.

ARTICVLVS V.

Vtrum Sacramentum Confirmationis imprimat Characterem?

Respondeo, Imprimere Characterem. Vide supra qu. 63. art. 1. n. 2. Notandum est hunc Characterem distingui realiter à Characteribus Baptismi. Ratio est, Quia Cõfirmatio est Sacramentum omnino distinctum à Sacramento Baptismi: nam ad diuersa munera per hæc deputatur: per Characterem enim Baptismi efficiuntur membra Christi, & capaces Sacramentorum: per Characterem Cõfirmationis consignamur in milites Christi ad eius fidem publicè profitendam.

18
Character Baptismi & Confirmationis distinguitur realiter.

Dices,